



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Domitii Plati Societatis Iesv Theologi, De Domini
Nostri Iesv Christi Passione**

Piatti, Domizio

Coloniae Agrippinae, 1610

De persona quæ patitur. Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49474](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49474)

CONSIDERATIO
PRIMA, DE PERSONA
QUAE PATITUR.



LARVM & evidens est circumstantiam personae plurimum augere vel minuere eius quod agitur, aut sustinetur acerbitatem. Hinc namque est quod humanae leges in multis euentibus ad humanum potissimum respicientes, multo seuerius puniunt iniurias Regi aut Principi, quam homini privato & humili irrogatas: sicut ut etiam maiori premio obsequia excellentis alicuius personae, Reipublicae praestitantur quam eadem obsequia per aliam minoris excellentiae personam exhibita remunerant. Quare non abs re facturi videmur, si & nos Christi patientis personam exacte consideremus, ut inde perspiciamus, quanta in aestimatione sacratissima Christi Passio nobis habenda sit, quamque infinita illi propter tormenta adeo grauia & acerba, nostrae salutis causa perlata, obligatione deuincti simus. Caterum

Ceterum ut quam ordinatissime & distinctissime omnia à nobis proponantur: & Christianus Lector, qui præter Lectionem, etiam ad meditationem his discursibus uti volet, facilius id consequatur: distinguemus singula capita in aliquot puncta seu considerationes, prout materia postulabit: nec tamen propterea, à sine nobis præstituto, deviamus.

PERSONAM QUAE IN
Christi Passione passa est, fuisse personam Verbi.

CAPVT I.

CERTVM atque indubitatum est, per Incarnationis mysterium naturam diuinam & humanam hypostaticè ita inter sese vnitas fuisse, vt ambabus integris & perfectis in esse suo permanentibus, quemadmodum Concilia Ephesinum & Chalcedonense definiunt, & SS. Patres vnanimiter asseuerant: persona Verbi vtriusque fuerit suppositum, & per humanæ naturæ assumptionem præpediuerit, ne in illa resultaret suppositum vel persona creata. Per hanc autem vnionem harum duarum naturarum in vnica duntaxat persona verbi æterni, factum est (vti Sanctus Thomas & alij

In Christo fuit vtraque natura diuina & humana, quarum suppositum fuit Dei verbum.